



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 37. Georgii Buchanani exitium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

excusi prodierunt: edidit quoque Vincentius rerum Ecclesiasticarum collectionem, quam Thesaurum appellabat: adhæc plures epistolas dedit ad Ordinibus suis religiosos, quibus eos ad virtutis studium, ac Religiosæ vitæ exercitia hortabatur, nec minus Constitutiones Fratrum Minorum novis additionibus illustrabat, tantaque existimatione etiam apud Turcas pollebat, ut ejus opera fieret, quatenus Justiniani e Chii dominio a Turcis expulsi, in pristina libertate a Selymo Imperatore relinquerentur: pariter impetravit, ut in eadem insula Christianæ Religionis ritus publice profiteri valerent: præterea plures exstruxit ædes, ut hujus familiæ pauperibus subveniretur.

§. XXXVII.

Georgii Buchanani exitium.

Inter celebriores Scriptores hoc anno fatis functos pariter recensetur Georgius Buchananus Vir suo ævo ob ingenii sui aciem, scribendique facilitatem nominatissimus. Is anno Christi millesimo quingentesimo sexto Kilberinæ in Levinia Scotiæ Provincia natus post prima Græcæ, ac Latinæ linguæ rudimenta apud suos hausta Parisios venit, ubi per biennium studiis vacabat: cum autem ibidem omni ope destitutus

Spond. annal. hoc ann.

num. 10.

Thuan. l. 76.

Teiffier od- dit aux elog.

de M. de

Thore t. I.

p. 578.

Sæcul. XVI.
A.C. 1582.

stitutus suas miseras sublevare haud posset, in Scotiam reversus in Universitate Santandreana sub Magistro Joanne Main Hadingtonensi, qui vulgo Major dicebatur, Dialecticæ operam navabat, a quo etiam paulopost Parisios reductus, ejus opera in Collegio sanctæ Barbaræ artem Grammaticam tradere permittebatur, quo munere per duos annos cum semestri defunctus anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo nono juvenis Castilensis Comitum Moderator nominabatur, ideo unacum suo discipulo in Scotiam denuo reverti compulsus apud eundem usque ad annum millesimum quingentesimum trigesimum sextum permansit, quo Jacobus V. eidem spurium suum Filium Jacobum Stuartum instituendum tradebat: cum vero perversa Buchanani indoles illum nativa propensione ad mordaces maledicentias induceret, hinc adeo funestam sibimetipsi fortunam curdebat, ut comprehensus in vincula conjiceretur, quamvis suis fraudibus ex hoc ipso carcere evaderet.

Postquam idem diu Angliam, & Gallias pervagatus erat, a Govea Lusitano Burdegalas evocabatur, ut in Aquitano Gymnasio humaniores literas traderet, ubi etiam Carolum V, Cæsarem, cum per Gallias in Belgium contendende-

tenderet, luculenta oratione excipiebat: demum Parisios reversus in Cardinalis Monaci Collegio rursus Grammaticam profitebatur, paulopost tamen unacum Govea in Lusitaniam contendit.

Ceterum Buchananus erudiendæ Juventuti Conimbricæ operam dabat, ubi sua dicacitate ingens Fratrum Minorum odium sibimetipsi accersebat; quippe Satyram licet ingeniosam, ultra modum tamen acerbam adversus hosce Religiosos conscribebat, atque infami huic libello titulum præfigebat: *Franciscanus*: insuper aliam Satyram sub titulo: *Fratres Fraterrimi* adjecit, qua indigna agendi ratione rursus carceri mancipari promeruit, ubi etiam per sesqui annum detinebatur. Referunt nonnulli, quod Buchananus hanc Satyram conscripserit jubente Jacobo V. qui vindictam sumere parabat de Franciscanis, eo quod ipsi cujusdam conjurationis adversus eum a Scotiæ Nobilibus conflatae conscii fuissent: verum utut res se habuerit, id pro comperto nobis est, quod Buchananus Parisios secedere compulsus ibidem Timoleonem Cossæum Brissaci Marescalli Filium literis imbuere jussus fuerit, hacque exercitatione quinque omnino annos transegerit: demum vero circa an-

Hist. Eccles. Tom. L.

F num

Sæcul XVI.
A.C. 1582.

Sæcul. XVI.
A.C. 1582. num Domini millesimum quingentesimum sexagesimum cum univesum Franciæ Regnum civilibus bellis agitaretur, in Scotiam rediit, ubi Protestantium sectæ nomen dedit, ac Jacobum VI. Mariæ Stuartæ Filium literis erudiendum suscepit, postquam Scoti horrenda temeritate hanc Reginam suis ditionibus spoliaverant: porro eo tempore Buchananus suam rerum Scotticarum historiam viginti libris descriptam elucubravit, in qua ea libertate, quæ ipsius Nationi primævo naturæ vitio insita est, sane abusus nequidem a suis dicitur regiam Majestatem exemit. Periit tandem Edini die vigesima octava Septembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo secundo, postquam annum ætatis suæ septuagesimum septimum exegerat. Ceterum is præter suam de Scotia Historiam posteris reliquit quædam alia Scripta, pluraque latina carmina, inter quæ præcipue commendantur ejus in centesimum quinquagesimum Davidis Psalmum Paraphrasis, quam in Lusitania carceri mancipatus conscripsit.

§. XXXVIII.

*Parisiensis Facultatis sententia circa
Calendarii reformationem
rogata.*

Cum